




EIDYLLION GRATV-  
LATORIVM,

ERV DITIONE AC  
VIRTUTE SINGVLARI,  
præclarâ Ornato, Polito Viro  
Dn. IOANNI SAGITTARIO,  
Dresdensi, Misn. Cum eidem ex  
Asclepiadei coetus nutu ac voto  
Clariss. & Excellentiss. Vir. DN.  
CASPARVS BAVHINVS D.  
Medicus, Anatomicus & Bota-  
nicus, omnibus numeris absolutus, ceu  
Agonotheta ritè designatus & alter A-  
POLLO, uni ex novem Musis Brabeion  
Medicæ Doctoralis Laureæ conferret,  
& amico convictori & compe-  
titori suo scriptum à

M. MICHAELE MEIERO  
CHIL. CIMBRO Poëta Cas.  
Philiatro.



BASILEÆ,  
Typis CONRADI WALDKIRCHII.  
cl. 15. xcvi.



REVISION OF THE  
LAW

REVISION OF THE  
LAW

REVISION OF THE  
LAW

REVISION OF THE  
LAW

REVISION OF THE  
LAW

REVISION OF THE  
LAW

REVISION OF THE  
LAW



EIDYLLION GRATVLA-  
TORIVM.

**A**RMIGER in sylvas, Boyos ubi Misnia montes  
Suspicit, adsiduum more trahebat iter.  
Ex humeris pharetram, levâ suspenderit arcum,  
In dextrâ ad pugnam prompta sagitta fuit.

Sapè pererravit valles præruptaq; saxa,  
Cum primùm vitreis lux oriretur aquis.  
Non requies illum cepit, neq; lumina somnus;  
Sollicitus præda pectora tentat amor.

Fortè viam sequitur SALMUTTHVS Phæbus eandem,  
(Ocia nam Musis fecerat ille suis)

Dumq; videt juvenem, quæ te huc vestigia ducunt,  
Inquit, an arbusli te juvat hujus honos?

Certus es, umbrosa nec te fastidia sylvæ  
Mente tenent, nobis est quoq; cura nemus,  
Et mihi sunt arcus, est & mihi missile telum,  
Et manus imbelles docta ferire feras.

Dixit, & ex tergo pendentia protulit arma,  
Arma, quibus cæsus Pythius anguis erat.  
Ille Deum metuens (nec enim Deus usq; latebat)  
Artis, ait, nobis da documenta tuæ.

En ego sum juvenis, nec sat mihi dextera certa est,  
Fac gravior spolijs tendat ut illa domum.

Respondet votis subito exoratus Apollo,  
Quæ petis immenso parta labore feres.

Me sequere exemplo, nec te trahat invia callis,  
Hæc brevis, at saxis dura terenda via est.

Sic ait, Aönÿ petijtq; cacumina saltus,  
Signa pedum lustrans Armiger hæc sequitur.

In sublime petunt, sudor fluit undiq; rivis,  
Et defessa frequens halitus ora quatit.  
Non levis adscensus, si quis petat ardua, durum est  
Parnassi præceps Montis adire jugum.  
Ventum ubi jam fuerat summa ad fastigia Phæbo,  
Hic, citus, acclamat, si modo pergis, eris.  
Si te captat honos desideriumq; ferarum,  
Huc ades, & certis passibus usq; veni:  
Victor in excelsa nunc tandem culmine sistis,  
Accipe jam fœlix Martis & artis opus.  
Hanc qui Fontis aquam labris sitientibus haurit,  
Doctrina faciles percipit ille modos.  
Iamq; bibenda tibi est, terris hæc præpete pennâ  
Pegasei mentem subleuat instar Equi:  
Nec sinit esse rudes dextras, aptasq; sagittis  
Efficat, hac membris vis redit uber aquâ.  
Ille tenax monitus divini numinis undam  
Ore capit, cupidam dâminuitq; sitim: O  
Mox ait, extensos nervis curvabimus arcus,  
Sitq; procul positos tangere cura scopos.  
Si superare meam valeant tua spicula metam,  
Victoris viridi tempora fronde premam.  
Brachia nunc valido sunt exercenda labore,  
Est aliquid jaculis erudisse manus.  
Edocet innumeras usu labor improbus artes,  
Nitere, conando fers patienter onus.  
Hæc ubi verba dedit, Musas adit impiger Heros,  
Proq; suo pulsat flamina more chelys.  
Ille inter se junctæ saltant ordine longo,  
Citq; manum manibus turba pedem pedibus:  
Et jam transierant bis terna tempora messis,  
Cum Phæbus solitum fortè relegit iter,  
Armiger ecce suâ nondum defessus in arte  
Gaudet ad expositum mittere tela scopum.

Tum Deus, heu tanto quis te labor intervallo  
Urget, in optatâ nunc satis arte vales.  
Desine robustum curis absumere corpus,  
Agnoscit proprium res bona quæq; modum.  
Ut dem pollicitæ victricia munera frondis  
Restat, honorificum gloria calcar amat.  
Ergo comas circum viridis tibi laurea neclat,  
Quæ non falsa mei signa favoris habet.  
Noster amor lauri, sunt & mea cura sagittæ,  
Vatibus & medicis nominor author ego.  
Quid Pythona canam, quid Daphnes fata puella?  
~~Hinc arcus refero, cingit at illa caput.~~  
Quærere collectis docui medicamen in herbis,  
Singulâq; in numeros cogere verba suos.  
Hæc postquam addiderat, jam carpserat arbore frondem,  
Quâ Deus Armigeri tempora grata beat.  
Salve Misniacis, magnum decus, Armiger oris,  
Laureolæ pulcher te bene vestit honos.  
Scilicet illud erat, cur matutinus in agros  
Tendere suevisi, serus & inde domum.  
Sub Diô toties insomnes ducere noctes  
Es solitus, gelidas & tolerare nives.  
Nec te frigus atrox, nec te implacabilis æstus  
Detinuit, sylvis vivere dulce fuit.  
Quod superest, Pylios ævum securus in annos  
Protrahere, nec nocuas arte sine esse feras.  
ARMIGER es Medicus, tibi sunt medicamina tela,  
Naturamq; fera morbus acutus habet.  
Ecce BAVHINVS adest triplici pro munere Phæbus  
Datq; Sagittari, frondea dona tibi.

---

EIVSDEM AD EVNDEM  
Hendecasyllabum Nomine

TERPSICHORES ad ERATO.

**C**ur non dexter ocellus, & sinistra  
Mamma ritè, soror, tibi resultet  
Gaudij impatiens, quid est quod obstat?  
Nostrum dimidium duplex, APOLLO  
Instar omnibus esse Corculorum  
Quem Virtus voluit, tuos capillos  
Dum cingit diadematis superbi  
Purpurâ, Tyriog, amicit Ostro: *amicit.*  
Quin hanc candidulis diem lapillis  
Servabis Scythicâ bonam pharetrâ,  
Et seros numerabis ad nepotes.

Huc huc Pectora terna Gratiarum  
Et Cypri Dea lusca, cumq, Sanco,  
Adsis juncta Psyche tuo marito,  
Et Nodotis & aucta Flora Nymphis,  
Quas Mons Albus alit, solumvè pinguis  
Zerbesta Cereri colit sacratis:  
Huc huc Nais, & ipse Pan, & omnes  
Ruris semidei citate passus,  
Et flores sua quisq, dona ferte.

Sit vivax Amaranthus & rosarum  
Intactus pudor, ocymonq, fragrans,  
Cælestesq, hyacinthi, amaracusq,  
Lilium, Panacea, baccar, ambrâ,  
Cum moscho crocus, ac bonorum odorum  
Quicquid mittit Arabs, habetvè tellus

Pendens

*Pendens aëre, sive Adonis illam  
Seu Semiramis extulit columnis.*

*Si quem tangit honos mea sororis,  
Nec nobis malè voveat, precetur  
Fœlix auspiciū novem Deabus:  
Nil Momi insidias tenebricosas  
Thersitisvè moramur, absq; luce  
Non est clara dies, nec hac sine umbra.*

vclco

---

TETRASTICHON CANCRINVM  
eidem ab eodem, quâ potuit,  
scriptum:

*Nemo Nepen omen  
E re ferre ferre  
Videt non, te dix  
Sol attigit talos.*

F I N I S.



Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.


TETRASTICHON CANONICUM  
Eiusdem ad eodem, quod perit  
scriptum

Faint text below the title, possibly a list or index.

Faint text, possibly a date or reference.



H  
DE  
TU  
i  
  
CL  
st



GRATV-  
IVM,  
ONE AC  
NGVLARI,  
, Polito Viro  
GITTARIO,  
Cum eidem ex  
s nutu ac voto  
ntiff. Vir. DN.  
VHINVS D.  
nicus & Bota-  
ris absolutus, ceu  
gnatus & alter A-  
m Musis Brabeion  
aureæ conferret,  
ori & compe-  
iptum à  
E MEIERO  
o Poëta Cas.  
ro.  
E Æ,  
WALDKIRCHII.  
XCVI.

